

meritum Patrem Cœlestem ita movit, ut decreverit salutem &
 beatitudinem æternam nobis conferre. Talis meritoria causa
 fuit David, qui intuitus ac recordatione meritorum Jonathani,
 filio ejus Mephibosetho benefaciebat, licet Jonathanis merita
 non adessent, & extarent physice, morali tamen ratione & in
 memoriam revocata Davidem ad beneficia Mephibosetho ex-
 hibenda impulerunt. Altera Causa, quæ Physicum agens mo-
 vet ad agendum per modum satisfactionis, nuncupatur *satisfa-
 ctoria*. Sic Satisfactio Christi immolati seu agni occisi Pa-
 trem Cœlestem movit, ex gratia, ob λύτρον satisfactorium Filii
 sui Unigeniti salutem & delicias sempiternas nobis donare. Sic
 Uxor bonis velut hypotheca quadam Judici satisfacit, ut capti-
 vum maritum delictorem, ingenti pecuniaria multa aut poena
 capitali plectendum è carcere dimittat, ubi satisfactio non phy-
 sice causat liberationem hujus delinquentis, moraliter tamen
 movet Judicem ad concedendam libertatem hactenus incarce-
 rato. Tertia Causa, quæ à Physico agente aliquid impetrat, vocatur
Impetratoria, & hoc vel petendo vel aliud aliquod faciendo:
 Sic vir gravissimus & in honore constitutus, precibus suis movet
 judicem, ut captivo pedicis constricto condonet delicta, & sic
 intercessione hujus viri liber dimittitur, Libertatis itaque Causa.
 Impetratoria Moralis est vir iste spectabilis. Hi itaque potissi-
 mi sunt Causæ Moralis Modi, quos hactenus investigavimus, non
 equidem diffitemur alias adhuc reperiri species, quæ tamen non
 sunt adeo communes, propterea ex Judicio B. Slevogtii jugi le-
 tione observari debent. Interim hoc unicum adhuc monemus
 quod isti modi, qui in disticho allato continentur, præ aliis ad
 restitutionem & reluendum id, quod ablatum est nos obstrin-
 gant, non ita stricte posteriores, propterea iubet Verbis Thomæ
 huncce Paragraphum claudere qui qu. 27. art. 7. ita differit. Sci-
 endum est, quod dicti modi in versibus specificati semper obligant
 ad restitutionem. Primo Jussio, quia ille, qui iubet est principaliter
 movens: unde ipse principaliter tenetur ad restitutionem: Se-
 cundo Consensus in eo, sine quo rapina fieri non potest. Tertio re-
 cursus, qui scil. aliquis est receptator latronum, & iis patrocinium
 prestat.